

bien. scilicet et Tuscanen. complectentis.
XV. An et cuius Ecclesiae praenominatio servanda sit in impressione dicti separati Kalendarii, seu potius quomodo sit providendum in casu etc.

S. C. resp.:

Ad I. Arbitrio et prudentiae Episcopi quoad utramque partem, prout magis in Domino et utriusque Ecclesiae utilitatem expedire judicaverit. Ad II. Affirmative, si Synodus indicatur pro utraque Dioecesi et Clerici utriusque Ecclesiae convocentur et amplius. Ad III. Arbitrio et prudentiae Episcopi et ad mentem, et mens est, quod scribatur Episcopo decere interdum aliquas functiones Pontificales peragere in Ecclesia Cathedrali Tuscanensi. Ad IV. Arbitrio et prudentiae Episcopi et ad mentem, et mens est ut in praecedenti. Ad V. Negative, salvo tamen arbitrio Episcopi. Ad VI., VII., VIII., IX., X. Praevio recessu a decisio sub die 16. Martii 1771. Episcopum posse adhibere in conficiendis Actis alterutrius Ecclesiae quemlibet ex Notariis sibi benevisum, juxta tamen resolutionem in Hortana diei 8. Junii 1624 ita tamen, quod, si Acta conficiantur a Cancellario Viterbiensi pro Dioecesi Tuscanensi, teneatur ille vel autographum, vel copiam authenticam, soluta dumtaxat mercede Scripturae, tradere Cancellario Tuscanen., in Cancellaria Tuscanen., qui Acta conficiat ad Dioecesim Viterbiens. spectantia. Ad XI. Affirmative et amplius Ad XII. Praenominationem competere Ecclesiae, in qua residet Episcopus; si vero extra utramque, competere Ecclesiae Viterbiens. Ad XIII. Provisum in antecedenti. Ad XIV. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, salvo jure et potestate Episcopi et amplius. Ad XV. Praenominationem competere utriusque Ecclesiae in suo Kalendario et amplius.

Die 14. Sept. 1782 et 11. Jan. 1783.

II. Pro utraque Dioecesi habenda.

Vd.: *Synod. Dioeces. unit.* (In qua civit. etc. decret. diei 8. Maii 1649.)

III. Interessendi Obligatio Canonico-rum et Cleri Dioecesium unitar.

(Conc. Trid. C. 2. Sess. 24; c. 2. et 3. S. 25. De reform.)

Renuentes Canonici Cathedralis Geruntinensis accedere ad Dioecesanam Synodus indictam ab Episcopo in Cathedrali Cariaten. praefatae alteri cathedrali unita fuerunt praevia citatione per edictum suspensi ab officiis et beneficiis.

Hinc dubia: 1. An Synodus ab Episcopo celebrata in Cathedrali Cariaten. sustineatur? et quatenus affirmative.

2. An liget Dioecesim Geruntinam?

3. An Censurae ab Episcopo fulminatae contra Canonicos Geruntinos sustineantur?

S. C. C. resp. ad 1: Affirmative; ad 2: Negative; ad 3: Negative.
Die 2. Oct. 1706.

Episcopo non acquiescente Capitulum iterum proposuit dubium: *An et in quibus sit standum vel recedendum a decisio sub die 2. Oct. 1706?*

S. C. C. resp. ad 1: In Decisis; ad 2: Praevio recessu a decisio; ad 3: In Decisis.

Die 11. Febr. 1708.

Ad dub.: An clerus unius Cath. Ecclesiae cogi possit ad interessendum synodo celebrandae in altera ecclesia?

S. C. C. resp.: Affirmative, si synodus indicatur pro utraque Dioecesi et cleri utriusque ecclesiae convocentur et amplius.

Die 11. Jan. 1783 ad II. Viterb. et Tuscanen.

Quando duea Cathedrales Ecclesiae ab uno eodemque Episcopo moderantur, potest Episcopus inspecta juris severitate in Ecclesia quam maluerit

habit Canonic. ass. in missa sol. et al. Cleric. Synodo interess.)

343

Synodus celebrare, cui Ecclesiastici omnes utriusque Dioecesis interesse tenentur, editasque constitutiones inviolabiliter servare: *Frances de Ecclesiis Cathedralibus cap. 8. num. 370. Romaguerra ad Constit. Synodales Gerundenses lib. 1. cap. 1. num. 12;* Hinc licet in Geruntina et Cariaten. ad duo dubia proposita I. *An Synodus ab Episcopo celebrata in Cathedrali Cariaten. sustineatur et quatenus affirmative.* II. *An licet Dioecesim Geruntinam.* Sacra Congregatio die 2. Octobris 1706 responsum dederit. Ad I. Affirmative, ad II. Negative, nihil minus die 1. Februario 1708, reproposita causa perstitum fuit in decisio quoad primum dubium; Ad secundum vero responsum fuit: *Praevio recessu a decisio affirmative lib. 58. decret. pag. 13.*

Ex resol. diei 14. Septembris 1782 Viterbien.

IV. Utrum ligat utramque Dioecesim?

Vd.: *Synod. Dioeces.* (Interess. Oblig. etc. decr. diei 11. Febr. 1708 ad 2.)

Ad dub.: An Synodus celebrata in Cathedrali Privern. die 24. Junii 1764 obliget civitatem et dioecesim Terracinen?

S. C. resp. Affirmative et amplius.
Die 1. Mart. 1766.

b) *Habitus Canonico-rum ass. in missa sol. et aliorum Clericorum.*

Synodo interessent.

Vd.: *Vicar. gen.* (habitus in Synodo.)

Dignitates Cathedralis Episcopo solemniter celebranti assistunt indutae Pluviali; Canonici Presbyteri Casula, Diaconi et Subdiaconi Dalmaticis, ubi juxta Tridentini Decretum sess. 24. c. 12. de reformat. sit facta Praebendarum divisio. Ubi autem ea divisio nondum est facta, omnes Canonici uti solent Pluviali. Bened. XIV. de

Syn. dioec. l. 3. c. 11. n. 8. ex Gavant. c. 13. n. 2.

Coadjutores Canonorum Ecclesiae Cathedralis utuntur vestibus, quibus in choro uti consueverunt. Vicarii Foranei et Archipresbyteri seu Praepositi rurales in aliquibus Dioecesibus aut Pluviale, aut aliud ornamentum assumunt, quo a caeteris distinguuntur; in aliis autem nullum obtinent speciale Insigne. Parochi quoque aliubi praeter superpelliceum, seu Cottam, gestant capucium, alibi stolam. Caeteri de Clero utuntur dumtaxat superpelliceo. Idem ibid. num. 8. ex Gavant. cit. cap. 13. Recte tamen cum ipso concludens, standum esse in his omnibus locorum consuetudini.

Si Episcopus in Synodo Missam privatim, vel nuttatenus celebret (quod tamen juxta tradita improbat),) Canonici Cathedralis utuntur dumtaxat vestibus Choralibus. Et ei interessenti, ut debet, Synodo omnibus ornato Pontificiis insignibus, assistunt Diaconus et Subdiaconus cum Dalmaticis, perinde ac si Missam celebranti inservient, ut praescribitur in Pontificali Romano. Idem ibid. num. 9., Gavant loco citato.*

Dignitates et Canonici Cathedralium habentes per Apostolicum privilegium usum Pontificalium, in Synodo, dum Episcopus Missam celebrat, Processio peragit et Synodales sessiones habentur, possunt uti sola Mitra cum vestibus aliorum Canonorum propriis, non vero cum aliis indumentis Pontificalibus. Cum enim Praepositus Collegiate Sanctae Agathae civitatis Cremonae vellet Cremonensi Synodo interesse indutus Pontificalibus ornamentis, quorum usum illi caeteroquin competere nullus dubitabat, eique opponeret Episcopus, proposito dubio in Sacra Congregatione Concilii: „An praepositus S. Agathae possit ultra

*) Vd.: *Synodus* (missa).

usum Mitrae in Cathedrali et actionibus Synodalibus uti baculo aliisque Pontificalibus ex laminis aureis cum separato genuflexorio et sede occasione celebrationis Missae in Synodo?“ Sacra Congregatio die 5. Aprilis 1720. Respondit, „Negative, excepto usu Mitrae simplicis in actibus Synodalibus tantum.“ Iterumque causa proposita die 4. Augusti 1733. Sacra Congregatio stetit in decisio, excepta qualitate Mitrae, quam dixit posse a Praeposito gestari *aurifrigiatam*. *Idem ibid. num. 11. et 12.*, ubi subiungit, quod credere fas est, ideo quoad hoc Sacram Congregationem sententiam mutasse, quia deprehensum fuit, Praepositum exemptum esse ab Episcopi jurisdictione. Caeteri quippe Mitrae usum sibi a Sede Apostolica concessum habentes, si Episcopi jurisdictioni subjaceant, in Episcopali Synodo Mitram simplicem dumtaxat et non aurifrigiatam gestare permittuntur, juxta apertam decisionem Clementis IV. in cap.: *Ut Apostolicae, de privilegi. in 6. ibi:*

„De Fratrum nostrorum consilio praesenti Decreto statuimus, ut Abbes et alii, quibus Mitrae usus est ab eadem Sede concessus, exempti quidem in Provincialibus Conciliis et Episcopalis Synodis (quibus nonnulli eorum interesse tenentur) Mitris tantummodo aurifrigiatis, non tamen aureas vel argenteas laminas, aut gemmam habentibus uti possint; non exempti vero simplicibus et albis ac planis utantur. In aliis vero locis exemptis et non exemptis, Mitris liceat illis uti, prout concessa eis ab eadem Sede indulta permittunt.“ Unde Canonici et alii, qui nobiliori Mitra in aliis actibus et functionibus Ecclesiasticis ex privilegio utuntur, si eamdem in Synodo deferre gestiant, concludenter probare debent, id etiam honoris sibi specialiter et expresse et

quidem post Clementem IV. fuisse a Sede Apostolica concessum.

Ad dub.: An possint in processibus Synodi Canonicis Colleg. Fogiae incedere parati et assistere in caeteris Synodi actibus parati, sicut Canonici Cathedralis?

S. C. resp.: *Negative.* N. 3563 ad 4 die 22. Maii 1700.

Archipresbyter Ecclesiae Colleg. Fogiae debet assistere in Actibus synodalibus cum habitu chorali.

Ibid. ad 5.

Dignates et Canonici Collegiate Casalen. in Synodo incedere debere in habitu chorali.

N. 4226 ad 3. die 15. Julii 1752.

Vd.: *Vestes Episcopi.*

Baren.

Institutum fuit a S. Ritu Congregatione declarari, an in sessionibus dioecesanae Synodi, quae fiunt in cathedrali Ecclesia Baren., Archipresbyter et Canonicus Procurator Collegiae Ecclesiae nomine possint assistere, prout hactenus consueverunt, cum almutiis ejusdem Collegiate insignis, non obstante quod Capitulum et Canonici cathedralis Ecclesiae praetendant eorumdem delationem ad ipsos privative in hujusmodi actibus spectare. Et S. eadem Congregatio, attenta relatione Rmi Archiepiscopi, declaravit Archipresbytero et Canonico praedictis competere in Synodo insignia collegiae Ecclesiae quam ipsi repreäsentant. Die 20. Martii 1660.

(Anal. J. P. 1863 pag. 362.)

c) Laici.

Magistratus, Judices et caeteri laici de Collegio non possunt, non invitante et contradicente Archiepiscopo, interesse Synodo et sedem habere in eo. N. 3549 ad 7. die 23. Januarii 1700.

Deputatus Aversanae intervenire et admitti potest, prout admittuntur alii cives, quando januis apertis promulgatur Synodus sed intimari non debet pro celebratione Synodi. N. 3682 ad 1. et 2. die 26. Aprilis 1704.

d) *Missa sol.*)

Vd.: *Missa vot. solemn. de Spir. S. (dies). Pallium; Synod. (habitus Canonicor. etc.)*

Archiepiscopus Pallio uti potest, dum solemnem Missam celebrat in Synodo provinciali: *Bened. XIV. de Synod. dioec. I. 3. c. 11. num. 6.* et expresse *Caeremonial. Episcop. lib. I. c. 31. ibi: „Cantabitur Missa de Spiritu Sancto solemniter per Archiepiscopum, qui in ea utetur Pallio.“* Et de facto in Concilis provincialibus pallio usos fuisse s. Carolum Borromaeum Mediolani et Benedictum XIII. dum erat Archiepiscopus Beneventi tradit *Card. Petra tom. 5. in Constit. 3. Pii II. sect. unica num. 32.* In Missa autem solemniter celebranda in *Synodo dioecesana*, nec Archiepiscopus nec Episcopus Pallii usum habens potest ipso uti, ut indubitanter asserit idem *Benedict. XIV. cit. lib. 4. cap. 11. n. 6.* dicens expresse, quod Pallii usus pro die Synodi dioecesanae nusquam reperitur Archiepiscopo aut Episcopo usum Pallii habenti concessus. Unde *Gavant.* in praxi dioecesanae Synodi cap. 13. satis apposite scripsit: „Habitus Episcopi in Missa synodali erit Pontificalis et coloris rubei. Si celebrat solemniter, assumit omnia paramenta usque ad Pallium exclusive.“ Quod etiam notavit *Pax Jordan. tom. 2. lib. 8. tit. 2. n. 92.* Episcopus, etsi Missam in Synodo non celebret, omnia habere debet Pontificalia ornamenta eique assistunt Diaconus et Subdiaconus cum Dalmaticis. *Idem ibid. n. 9.*, qui tamen lib. 5. c. 1. n. 3. vult, quod Episcopus per seipsum, Missam celebret ut illi imponit re-

gens Pontificale, quod prodiit auctoritate Clementis VIII. ubi Episcopo et non alteri dicitur: „Paratus in Sede celebrat Missam de Spiritu Sancto“; nec satis est, ut Episcopus Missam privatam faciat, sed omnino decet, ut solemni et pontificali rito celebret. Sic quidem s. Carolus Borromeus in Concilio provinciali Mediolanensi IV. part. 2. titul.: *Quae pertinent ad Sanctissimum Missae Sacrificium* pag. 152 dies enumerans, quibus Episcopus „Patrum monumentis et veteri eoque comprobato rituum caeremoniarumque Romanorum Codice sacra Mysteria solemni celebritate et pontificio apparatu perficere debet, primam quoque dioecesanae Synodi diem inter illas recenset. Sic ille expressis verbis.

e) *Ordo sed. et praecedendi.*

Cf.: *Sedes Cleri in Synodo; Sedes Episcoporum in Conc. Trid. et Synodo prov.*

Canonicos et Clerum cathedr. in Synodo sedere debere a dexteris; a sinistris vero Canonicos Collegiate cum suo Clero; in incendendo vero Capitulum cum suo corpore et membris debere praecedere Capitulum Collegiate. N. 1323 die 11. Maii 1641.

Praecedentiam deberi in Synodo Canonicis Ecclesiae Colleg., collegialiter incedentibus, stantibus vel sedentibus supra Priorem regularem Ordinis Canonicorum regularium. N. 1370 die 22. Martii 1642.

Inter Dignitates et Canonicos Metropolitanae neminem interponi (in sessionibus synodalibus) posse, ex quo unum et idem corpus constituant; et idcirco Praepositum Collegiate praferendum esse Canonicis ejus Collegiate tantum. N. 1913 die 13. Iulii 1658.

Praecedentiam spectare ad Capitulum

Seminariae antiquorem uti Collegiatam insignem supra Capitulum Sinopuli occasione Synodi dioec., Sessionum et Processionum aliarumque functionum causa illius celebrandarum sub quovis praetextu. N. 2721 die 9. Febr. 1675.

Ad Praepositos forenses Dioecesis Papiensis spectare praecedentiam eosque praecedere debere Vicariis foraneis in processionibus, sessionibus et aliis actibus fieri solitis occasione Synodi dioecesanae. N. 3049 die 11. Martii 1664.

Ad dub.: An Dignitates et Canonici Praebendati Ecclesiae Portug. debeant tam in locis et sessionibus quam in processionibus et reliquis Synodi actibus praecedere Abbates mitratos?

S. C. resp.: Servetur Caerem. num. 3139 ad 1. die 14. Junii 1687.

Occasione Synodi de sessione serventur notata per Gavantum in praxi c. 13. n. 10. tit. de Synodo. n. 4031 ad 7. die 12. Martii 1735.

f) Processionis crux.

Ad dub.: An in Processionibus, quae fiunt occasione Synodi, tam Capitulum quam Collegium Parochorum incedere debeant, sub unica Cruce totius Cleri seu potius quibus competit jus elevandi propriam Crucem, in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative ad primam partem et elevandam esse unicam tantum crucem Cathedralis et amplius. Die 7. Junii 1760.

g) Surrogatum.

Episcopus pro statuendis legibus synodalibus seu dioecesanis, attenta aeris temperie et nociva sanitati, potest in alium locum salubriorem ad se vocare duos Canonicos procuratores Capituli et duos alios procuratores Cleri. num. 160 ad 1. die 3. Augusti 1602.

Januen.

(Conc. Trid. C. 10. Sess. 25., C. 2. S. 24. De ref.)

S. Concilium Tridentinum cap. 10. sess. 25. de reform. statuit: *In singulis Conciliis provincialibus aut dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant, juxta Constitutionem Bonifacii VIII., quae incipit: Statutum, et alioquin ad id aptas designari ut praeter Ordinarios locorum, iis etiam posthac Causae ecclesiasticae ac spirituales, et ad Forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram provincialem aut dioecesanam Synodum etc.*

Occurrit in his terminis casus in Dioecesi Januen., in qua per plures annos non fuit celebrata Synodus provincialis aut dioecesana. Propterea Eminentissimus Archiepiscopus dubius de facultate, si aliquis interim mori contigerit, substituendi alium in ejus locum, reverenter recurrit ad hanc S. C. pro declaratione: *an valeat uti dicta facultate substituendi alium, etsi Synodus tam provincialis quam dioecesana non fuerit infra tempus a Concilio praescriptum sess. 24. cap. 2. de reform. celebrata. Unde expeditius sapientissimum oraculum EE. VV. ut declaretur:*

An et quomodo valeat Eminentissimus Archiepiscopus procedere ad substitutionem Judicium Synodalium in casu etc.?

S. C. resp.: In casu, de quo agitur, detur Archiepiscopo facultas substituendi cum consilio Capituli.

Die 1. Junii 1709.

h) Tempus.

Vd.: Canonici (Feriae)

Ad dub.: An Episcopus pro sta-

tuendis synodalibus, seu dioecesanis, attenta aëris intemperie et nociva sanitati ipsius Episcopi, possit in alium locum salubriorem et commodiorem, predictis legibus determinandis et statuendis ad se vocare duos Canonicos procuratores Capituli et duos alios procuratores Cleri? S. R. C. respondit, „posse, dummodo duo Canonicci praedicti longiori tempore, quam a Concilio praescribitur, a sua Ecclesia non abfuerint.“ Et ita declaravit et ad praedicta dubia ut supra respondit die 3. Aug. 1602. N. 160.

Egitaniens.

Pro parte Episcopi Egitanien. iterum institutum fuit super primo dubio in praecedenti Congregatione proposito et pro concessione longioris temporis quam a Concilio praescribitur, cum id tempus non sufficiat ad leges

synodales statuendas, in quibus determinandis diu laboratur, cum omnia exacte examinentur coram Episcopo et dictis Procuratoribus et aliis Doctoribus, et cum dictae leges respiciant utilitatem publicam totius Dioecesis, petitum fuit, ut dictis duobus Canonicis licentia concederetur abesse ab Ecclesia per totum tempus, quod hujusmodi negotium durabit: maxime cum in Ecclesia pro ejus servitio tringinta existant personae.

S. C. respondit: „Tempus indefinitum non esse dictis Canonicis concedendum, sed, attentis narratis, posse concedi tempus sex mensium“, censuit et declaravit. N. 161 die 30. Aug. 1602.

2) Provincialis.

(Sedes Episcoporum inter se se.)

Vd.: Sedes Episcoporum, in Synodo provinc.

T.

TABACCUM.

Vd.: Habitus Clericorum. (n. 7.); Visitatio Presbyt. (n. 5.)

Ad dub.: An in choro et in Sacraario inter Missas sumi possit tabaccum?

S. C. resp.: Servandum esse Breve PP. Urbani VIII. die 30. Jan. 1642 editum incipiens: *Cum Ecclesiae etc. n. 1454 ad 3. die 13. Junii 1643.*

BREVE URBANI PAPAE VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum Ecclesiae divino cultui dicatae domus sint orationis, easque propterea omnis sanctitudo deceat, meritos, quibus cunctarum per Orbem universum Ecclesiarum cura a Deo com-

missa est, advigilare convenit, ut ab eisdem ecclesiis quicunque actus profani et indecentes procul arceantur. Itaque cum, sicuti pro parte dilectorum filiorum Decani et Capituli Ecclesiae, Metropolitanae Hispalensis Nobis nuper expositum fuit, pravus in illis partibus sumendi ore vel naribus tabaccum, vulgo nuncupatum, usus adeo invalerit, ut utriusque sexus personae ac etiam Sacerdotes et Clerici, tam saec. quam regulares, clericalis honestatis immemores, illud passim in civitatis et dioecesis Hispalensis ecclesiis, ac quod referre pudet, etiam ss. missae sacrificium celebrando sumere linteaque sacra foedis, quae tabaccum hujusmodi prolicit, excrementis conspurcare ecclesiasque praedictas tetro odore